



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLI. Argumentum. Declaratur quid & quotuplex fit Mons Pietatis? Quæ leges sint in eo observandæ, & quantum possit exigere pro pecunia mutuò data pauperribus. Notantur abusus aliqui, qui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

DECISIO XLI.

ARGUMENTUM.

Declaratur quid, & quod duplex sit Mons Pietatis. Quæ leges sint in eo observandæ, & quantum possit exigere pro pecunia mutuo data pauperibus. Notantur abusus aliqui, qui irrepsērunt in Montibus Pietatis.

SUMMARIUM.

1. Mons Pietatis quid sit?
2. Montes Pietatis vocare illicitos temerarium foret.
3. Montium Pietatis, & aliorum pro pecuniis publicis divisio.
4. Leges pro regimine Montis Pietatis quæ, & quot sint?
5. Montis Pietatis ministri quidquid exigunt præter necessarias expensas, etsi exiguum, Usuram committunt.
6. Bagatini unius solutio pro omni libra super pignoribus Montis Pietatis an sit licita ad favorem Lazaretti, & hospitalis domus Dei?
7. Quantitas pecunia exigenda super pignoribus S. Montis.
8. Quinque pro centenario annuatim exigit Mons Pietatis Patavinus.
9. Restitutio facienda solventibus unum bagatinum pro libra.
10. Usura non est licita neque pro pio opere faciendo.
11. Mons Pietatis Paduæ quo tempore fuerit erectus?
12. Capitalis pecuniarii S. Montis Paduæ summa.
13. Ministrorum Montis Pietatis obligationes pro conscientia.
14. Abusus circa ministerium Montis Pietatis.
15. Bagatinus quid sit? Ejus imposita taxa in pignoribus S. Montis illicita.

Quia periculum est, ut committatur Usura in pecunia mutuata pauperibus à Montibus Pietatis; ideo hic examinandum venit, An Montes Pietatis licite, & absque usura exigant lucrum pro mutuata pecunia?

In responsione ad hoc Quæsitum quinque notabilia explicata fuerunt. 1. Quid sit Mons Pietatis? 2. Quod duplex? 3. Quibus legibus sit erigendus, & gubernandus? 4. Quando inceperit Mons Pietatis Patavinus, & quot ejus divitiæ? 5. Quæ sint peccata præcavenda à ministris Montium Pietatis?

I. Quo ad Primum. Dictum fuit, Montem Pietatis esse pecuniam prædestinatam à testatoribus, vel ab aliis Christi fidelibus, ad hunc finem, ut promptu sit ad mutuandum indigentibus, & occurrendum usuris, quas fœneratoribus, & præcipuè Judæis cogebantur solvere. Cardinal. de Lugo dict. disput. 25. num. 187. Molina disput. 325. Nicolius Lucubrat. Civil. dict. lib. 3. tit. 15. num. 13. Bonacina de contract. d. disp. 3. quasi. 3. punct. 12. Tamburin. de Tripl. Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 9. Lupus de Usur. in cap. Naviganti, eod. Comment. 3. §. 3. & Zacchar. Pasqualigus decis. 182. ubi unà cum supracitatis DD. notat, olim magnam fuisse concertationem circa honestatem Montis Pietatis, quem plures Theologi Usurarium fore, ac illicitum scripsere, inter quos Cajetan. tom. 2. Opuscul. 6. & Sotus lib. 6. de Just. & Jure quasi. 1. art. 1. donec Concilium Lateranense sub Leone Papa X. anno 1515, in Sess. 10. definivit, Montes Pietatis non reprehensibiles, non Usurarios; sed pios, religiosos, ac laudabiles esse, juxta tot, & tanta Theologorum,

& Canonistarum Consilia, & præcipuè floridissimi hujus Collegii Patavini, & aliorum Lectorum hujus Publici Studii, quæ leguntur in Libro legum Sancti Montis Pietatis Paduæ, per Dominum Petrum Saviolum in lucem edito anno 1647. part. 1. in princip. Adeo ut, nunc temerarium esset, Montes Pietatis impugnare, stante supradicta Conciliari definitione, cum poena excommunicationis lata in eos, qui contrarium docerent; & attento Decreto Concilii Tridentini de reform. Sess. 22. cap. 8. in quo inter alia opera pia numerantur Montes Pietatis, quæ omnia repetit, & confirmat doctissimus Pignatellus tom. 4. consult. 155. plurimos alios DD. cumulans.

Quo ad Secundum; Montes Pietatis sunt in multiplici differentia: nam alii sunt, in quibus pecunia mutuatur gratis.

Alii, qui exigunt à mutuatariis aliquid exiguum ultra sortem pro alimentis, & stipendiis ministrorum.

Alii, quorum cum non sit pecunia sufficiens ad mutuandum, eam recipiunt mutuo à privatis personis, iisdemque solvunt ratione lucri cessantis, vel damni emergentis quinque pro centenario, & tantumdem exigunt ab illis, qui pignora faciunt, ultra aliam summam pro expensis ministrorum, & custodia pignorum.

Alii sunt Montes, qui à Principibus constituantur, & fundantur in vectigalibus, vel aliis rebus immobilibus fructiferis; erigendo tot loca montium, sic vocata, quot centena Ducatorum offeruntur, pro quorum singulis centenis Princeps solvit quatuor, vel quinque, & horum locorum alia sunt redimibilia, alia perpetua, alia ad vitam deponentis, de quibus omnibus tractant DD. supracitati, & cæteris abundantius Pasqualigus à decis. 182. usque ad decis. 205. Salas de Usur. dub. 33. at brevius, sed doctius Cardinal. de Lugo dict. disput. 25. à num. 197. & segg. & ante ipsum Filliuc. tract. 34. part. 2. cap. 9. num. 184. Cardinal. Toletus in summ. lib. 5. cap. 39. Et novissimè Honoratus Leotardus de Usur. quasi. 22. à num. 28. usque in finem.

Quo ad Tertium. Leges, quibus erigi, & gubernari debet Mons Pietatis ad tria capita reducuntur. Unum, ut mutuetur pecunia Montis non divitibus, sed pauperibus. Alterum, ut pignus recipiatur à mutuatariis, custodiendum per ministros Montis; & vendendum, si debito tempore pecunia mutuata non restituatur, ut ex pretio recuperetur debitum, & residuum domino pignoris tradatur. Tertium, ut pro alimentis, & stipendiis ministrorum, ac aliis expensis necessariis pro custodia pignorum, & rationibus scribendis, aliquid exiguum exigatur à mutuatariis, ita tamen quod nihil accipiat præter dictas necessarias expensas, etiam si superfluum à ministris Montium esset expendendum in alium finem pium, vel ad elemosynas dandas; nam quidquid exigitur per ministros Montis, ultra expensas præcisè necessarias, est Usura manifesta, ut advertit Molina dict. disp. 325. sub n. 3. Vers. Illud denique Rebell. de oblat. lib. 8. qu. 13. sub n. 3. Vers. probatur deinde Lessius l. 2. c. 20. n. 193. in fine. Reginald. dict. lib. 25. n. 208. quod, aliis citatis, prosequitur Leotardus dict. q. 22. n. 34. Quo circa in puncto conscientie non censetur laudabilis exactio unius bagatini, si fortè fieri contingat nomine Lazaretti, & eo minus alia bagatini impositio ad favorem alicujus loci pii, seu hospitalis, in

in aliquam gravem necessitatem constituti; quamvis pium sit adjuvare inopiam dictorum hospitalium, quod advertere debent Confessarii; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ut in hac materia dicit Salas de Usur. dict. dub. 33. num. 10. & Eminent. Cardin. de Lugo dict. disput. 25. numer. 192. nihil enim præter necessarias expensas Montis exigendum esse statuit Sacrum Concilium Lateranense sub Leone X. dict. sess. 10. cujus hæc sunt Verba: In quibus (Montibus) pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solos ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illarum conservationem (ut præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat ultra sortem absque lucro eorundem Montium recipitur. Ponderetur h. solas: & h. dumtaxat.

- 7 Quanta autem esse debeat summa exigenda per Montem à mutuatariis ultra sortem; considerandæ sunt expensæ necessariæ. Si decreta Sacræ Congregationis esset attendenda, pluries ab ea responsum fuit, non esse exigenda, nisi triena pro quolibet centenario, vel ad summum quaternaria: si autem bina, vel singula tantum sufficerent, nihil amplius exigatur. Nicolius in Lucubr. Civil. d. lib. 3. tit. 15. sub num. 13. & Jacob Pignatell. com. 4. Consult. 151. num. 4. In hisce nostris Montibus Patavinis exiguntur quinque pro centenario, ut constat ex eo, quod datur unus bagatinus singulis mensibus pro unaquaque libra; unde, E. g. qui recepit à Monte libras centum, solvit menstruales bagatinos centum, qui post annum, sunt bagatini mille ducenti, conficientes solidos centum, idest libras quinque. Utrum autem hæc exactio sit excessiva, dubitari posset; attentis multis pecuniis, quæ supersunt singulis annis ex mercedibus ministrorum Montis, & dantur à Civitate pro eleemosynis, ut est notorium. In libro legum S. Montis part. 2. pagin. 5. scriptum est: Et se veramente di questo bagattin s'arrovasse esset coglieste più di quello pigliasse dette spese subito far, si debba una crida, che di tal avanzo ognuno, che avesse paga, tra il termine de giorni quindici debba venir à dimandar la sua rata, la quale liberamente le sarà data. Videretur itaque dicendum, sanctius esse minores eleemosynas facere, & minorem contributionem à mutuatariis per Montem exigere. Cæterum ex doctrina Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 195. talis taxatio non videtur reprehendenda, quia cum ab initio bona, & sincera fide facta fuerit, & reputata iusta; non est, ut quotidie mutetur, diminuendo, vel augendo; nimiam enim confusionem pareret: at optimum erit, ut quibus jus est excrescentes Montis, & mercedum pecunias in eleemosynas largiendi innotescat, & eos Confessarii commoneant, quanta maturitate, & circumspectione illas distribuere oporteat, quas de Jure non nisi pro necessariis expensis, licet exigere: adeo ut verissimum esse sciant, quod quidquid exigitur ultra necessarias expensas, est Usura, usura autem permitti non potest, neque propter bonum publicum, neque pro opere pio. Grassus de exceptionibus Except. 32. num. 102. & 103. ubi DD. plurimi, & Salas dict. dub. 33. num. 10.

- 11 Quo ad Quartum. Sacer Mons pietatis Patavinus erectus fuit die Dominica 26. Junii 1491. annuente Serenissimo Principe Nostro Venetiarum; excitante B. Bernardino Feltrensi, Ordinis Sancti Augustini. Tom. II. Lib. IX.

nis Minor. S. Francisci, acerrimo hoste Judæicarum Usurarum; & flagitantibus Nobilibus Urbis, totoque populo; Præsule tunc Patavino existente Illustriss. ac Reverendiss. Petro Barotio, ut narrat Petrus Saviolus in Legib. S. Montis Pietatis Patavini pag. 82. & in suo Thesaur. Urbis Paduana typis edito anno 1682. pag. 2. in quo per extensum notat, omnes oblationes pecuniarum, & aliarum rerum facta pro capitali S. Montis constituendo; quod pietate, & liberalitate Urbis nostræ adeo crevit, ut Anno 1680. totum S. Montis Pietatis capitale ascenderit ad L. 775201. ut legitur pag. 81. videlicet, ad centum, viginti quinque milia, ac triginta duos Ducat. Libras duas, Solidos duodecim. Sed ulterius plurimi sunt depositorum, & particularium personarum denarii in capsa publica, qui omnes mutuo dantur; unde illam lucri magnam summam ad rationem quinque pro centenario annuatim reddunt, ex qua mercedes amplissimæ ministrorum, & eleemosynarum magnificæ deducuntur.

Quo ad Quintum. Hæc præcavenda esse à ministris Montium Pietatis, plures animarum Rectores (Zelo, & scientia conspicui,) ad instructionem Confessariorum, eorundem confessiones excipientium, annotarunt. 1. Ne in pignoribus recipiendis, & pecunia egenis mutuanda tardi sint, morosi, asperi, vel difficiles. 2. Ne munera extorqueant, vel aliquod præmium ab ipsis pauperibus pro faciendis pignoribus. 3. Ne pecunias totas non iusti ponderis, vel numeri, aut difficiles ad expendendum iisdem tradant. 4. Ne pignora in proprium usum convertant, aliisve ad utendum præstent. 5. Ne divitibus magnam pecuniarum quantitatem mutuo dent, in præjudicium egenorum, ipsisque pauperibus expolis, aut neglectis. 6. Ne in venditione pignorum fraudes faciant; ea ficto aliorum emptorum nomine vili pretio sibi retinendo; aut omitant, ea quanti plurimi vendere; vel restituere domino, quod superest, detractis mercedibus. 7. Ne in distribuendis eleemosynis injustas appropriationes faciant, vel iis dent, aut donent, qui non sint egeni; scientes, se non esse dominos dictarum pecuniarum, illamque ad pauperes de Jure pertinere. 8. Ne pecunia S. Montis in alios usus expendatur; quia collecta est ad mutuandum pauperibus, & eorum pignoribus faciendis, & contra facientes lata est excommunicatio Summo Pontifici reservata per Paulum Papam Quintum in Const. 82. incipit, Onerosa; quod notavit Nicolius Lucubr. lib. 3. tit. 15. num. 13. Ex hucusque dictis notandi sunt duo magni abusus, qui irrepperunt in aliquibus Montibus Pietatis, non sine discrimine Animarum, & salutis æternæ administratorum.

Unus est, exigere aliquid etiam minimum, titulo mercedum, à pauperibus pignora facientibus apud Sanctum Montem, ultra necessarias expensas ministrorum, etiam illud minimum applicetur alicui Hospitali, vel Pio loco; siquidem, ut vulgare est, non licet furari pro eleemosyna faciendis; neque potest unum altare cooperiri, ut aliud discooperiatur, ut ait Mantua Jurisconsultus Patavinus consil. 18. num. 38. vol. 1. nec ira est uni favendum, ut alteri fiat injuria, vel iniustitia, cap. super. De donat. inter Vir. & Uxor.

eriamsi agatur de faciendo favore piz causæ. Idem Mantua consil. 133. num. 13. tom. 2. idcirco impositio unius bagatini pro omni libra ad favorem Hospitalis domus Dei solvendi à pauperibus pignora apud S. Montem facientibus est penitus injusta; prout supra probatum est.

Alter abusus est, quod bagatinus non est moneta expendibilis, sed metaphysica, quorum duodecim formant unum solidum; ideo si pro pignore pauperes recipiunt à massario Montis exempli gratia libras septem, coguntur solvere actualiter pro Hospitali prædicto solidum unum, & sic quinque bagatinos ultra prædictam taxam; adeò in multis milliariis librarum, exigantur tot, & tanti bagatini præter justum numerum, ut conficiant plura centenaria Ducatorum; quæ retinentur à massariis pro se ipsis, quia non reddunt rationem nisi de uno bagatino pro unaquaque libra; & ut dictum est, continuo à libris sex usque ad libras duodecim exigunt quatuor, vel quinque bagatinos ultra taxam. Si usurarium est quidquid exigitur in mutuo ultra interesse; & si iniquum existit omne id, quod à Monte Pietatis excipitur præter necessarias expensas; quomodo non erit usurarium, ac iniquum hoc lucrum tot bagatinorum; & tot ducatorum ex bagatinis; Scio plures massarios Montis Cives nobilissimos hujus Civitatis timoratos Dei noluisse retinere sibi incrementum prædictorum bagatinorum, sed eos consignasse Capserio Magnificæ Civitatis in augmentum capitalis ejusdem Montis. At qui soli lucro temporali student, absque conscientia formidine eos sibi retinent, sine aliquo justo titulo; cum habeant suum salarium pro massariatu; cum discrimine tum salutis æternæ, tum temporalium infortuniorum, quæ ex his injustis, ac usurariis causant etiam excidium familiarum, & egestatem filiorum. Nec desunt abusus alii in tam pii operis exercitio, corrigendi, ac eliminandi à Superioribus, si quando meminerint, ejusdem S. Montis, prout ex officio tenentur, visitationem instituire.

D E C I S I O XLII.

A R G U M E N T U M.

Usuram non esse mutuare pecuniam, ut sibi reddatur farina; seu ut agricola conducat agros; firmat hæc Decisio, cum conditionibus tamen in ea suppositis.

S U M M A R I U M.

1. Pecuniam recipere mutuo, restituendam in tanta farina, qualis contractus sit?
2. Voluntas contrahentium non est aliena ab eorum verbis.
3. Verba contrahentium attendenda.
4. Usura est mutuare pecuniam, ut sibi detur farina.
5. Emptionis & venditionis contractus quando fit?
6. Contractus ex substantialibus constituitur.
7. Mutuans pecuniam, ut sibi detur farina, non facit mutuum.
8. Pretium ubi non est definitum, ibi non est emptio.
9. Contractus innominatus quando fit?
10. Contrahentes debent intentionem suam clare declarare.
11. Decipere qui non vult, clare loquitur.

12. Mutuare centum, ut conducantur agri, an sit Usura?
13. Usura injustitia oritur ex involuntario.
14. Mutuatarii libertas excludit Usuram.
15. Reginis Oeconomici Curia Episcopalis.

Paduanus accipit mutuo centum aureos à Mercatore Veneto, cum pacto ei dandi, & solvendi tempore Messis tantam farinam pro summa dicta pecunia ad pretium, quo tunc valebit. Quæritur, An intret Usura?

Circa hunc casum calami scribentium in tres sententias descenderunt, quia tres diversos contractus sunt opinati. Alii dixerunt, intrare Usuram, quia est Mutuum. Alii scripserunt, non intrare Usuram, nam Mutuum non est, sed Emptio, & Venditio. Alii censuerunt, esse contractum innominatum; Do, unde, & ideo non intrare Usuram. Rationes tergeminæ sententiarum fuerunt.

Mutuum est (dixerunt primi) ergo intrat Usura. Antecedens probarunt, ex illis Verbis Paduanus accipit mutuo centum aureos à Mercatore Veneto; voluntas enim contrahentium à verbis non præsumitur aliena; & nemo præsumitur dixisse quod prius mente non concepit. *l. Labeo ff. idem Tubero. De suppell. leg. cap. ultim. de Verb. signif. nam voluntas hominis ex verbis apparet, sicut facies in speculo, & ideo à verbis contractus non est recedendum. Bald. lib. 3. cons. 102. numer. 9. & præcipue in contractibus è propria verborum significatione non est recedendum. l. Veteribus ff. de Pactis. Mantica de Tacit. lib. 2. tit. 5. numer. 12. Igitur, cum mutuo accepti sint centum aurei, contractus est Mutuum, & sic intrat Usura. Consequentia probatur ex dictis, & deductis supra Decis. 40. num. 10. videlicet, quia pactum dandi, & solvendi tantam farinam est obligatio civilis cum magno incommodo Mutuatarii. S. Thom. 2. 2. quæst. 78. artic. 2. Molina dict. disp. 308. Rebell. d. lib. 8. quæst. 4. & Reginald. dict. lib. 25. num. 196. & in hac facti specie, quod sit Mutuum, & intret Usura, tenet Ugolinus de Usuris cap. 33. num. 2. & Rebell. d. lib. 8. quæst. 4. num. 4.*

Emptio, & Venditio farinæ est, dixerunt alii; non autem Mutuum; idcirco non intrat Usura. Probarunt antecedentis primam partem ita, Quando aliqui conveniunt de re aliqua tradenda, & in alium transferenda pro certo pretio, emptio contracta intelligitur. *l. Naturalis, ff. 1. de Præscript. Verb. l. Insulam ff. eod. Mantica de Tacitis lib. 6. tit. 2. num. 5. Tiracuell. de Retract. lib. 1. ff. 1. gloss. 14. num. 19. Leotard. de Usur. quæst. 43. num. 27. Sed hic conventio facta est de danda farina ad pretium, quo tunc valebit. Ergo intus fuit contractus emptionis, & venditionis. l. Naturalis, ff. 1. Et siquidem de Præscript. Verb. Secundam verò partem, quod scilicet non sit mutuum, probarunt hoc modo. Contractus ex substantialibus constituitur. Glossa in cap. 2. de Consuet. lib. 6. Mantica de Tacit. lib. 8. tit. 3. num. 24. & ubi deficiunt substantialia, deficit contractus. Menoch. consil. 37. numer. 18. & 19. Leotard. de Usur. quæst. 16. numer. 21. Sed substantiale mutui est, ut tantumdem restituatur in eodem genere *l. 2. ff. Si cert. petatur. Mantica de Tacit. dict. lib. 8. tit. 3. numer. 26. & 29. Leotard dict. quæst.**